

05

A

714





9
Θεὸς συνεργῶντι

Exercitationum Theologicarum

DISPUTATIO IIX.

In qua

VIII. Problema Theologicum, idq;

DE LIBERO HOMI-
NIS ARBITRIO.

*Ad stateram Verbi divinitus - patefacti appenden-
dum sistitur.*

In Inclyta Academia VVitebergensi,

Auctore & Preside

IOH ANNE FÖRSTERO,

SS. Theol. D. & Prof. Publ.

Respondentis autem provinciam sustinente

M. NICOLAO HARDKOPF

Stadense Saxone.

Ad XVIII. diem Martij.

2. Cor. 3.

οὐχ ἰκανοί ἐσμεν ἑαυτῶν λογίζεσθαι πὺς ἐξ
ἑαυτῶν: ἀλλ' (NB) ἡ ἰκανότης ἡμῶν
ἐκ Θεοῦ.

Typis Cratonianis per Johan Gorman.

Anno M. DC. IX.

Viris Nobilissimis maxi-
meque strenuis

Dns.

H A N O N I

& Dns.

G O T H A R D O

von Brobergen/

Fratribus germanis, Hæredi-
tarijs in Bassbecke & Brobergen/ &c.

Fautoribus suis plurimùm
colendis



Offert

05 A 714

M. Nicolaus Hardkopff
Resp.



Problema.

An homo, in secundo adhuc statu, qui est corruptionis, constitutus, ex suis viribus legi Divinæ possit satisfacere, & num, ex naturali quadam *δυναμική*, sese possit præparare & applicare ad gratiam, inq; ipso τῷ *υἱῷ* Conversionis, vel aliqua saltem ex parte SPIRITUI sancto in actionibus Spiritualibus cooperari?

I.

Præfatio Disputationis.

Thesis I.

Disputationi nuperæ de *Causa peccati*, rectè subteximus hanc de *Libero arbitrio*.

II.

Rationes ἡ *συνεχέας* plures afferri possent: hæc autem omnium est potissima:

III.

Quoniam videlicet in illa dictum & evi-
dum: Causam peccati proximam esse ipsam hominis Voluntatem: vel (ut *Damasceus loquitur lib. 4. ὀρθ.πισ. c. 20.*) ἡ *ὀμεία ἐν δέσῃ*, *αἰετοειπὸς*: qui æstio suboritur: quomodò sese Voluntas hominis

A 2

nīs

nis habeat, ad suam, à peccato ad justitiam, & à Diabolo ad Deum, conversionem.

VI.

Exinde igitur locus ille Religionis nostræ præcipuus de Libero arbitrio, isq; à Sophistria olim Scholasticorum quam plurimis difficultatum labyrinthis ac mæandris involutus.

V.

Et sanè si suspiciam, in immenso Theologiae Oceano inter periculosissimas Syrtis navigandum: hinc certè (ita me Christus Naucerus ille summus amet!) navigandum nobis.

VI.

Etenim, sicut a Augustinus quoq; queritur:
Ista questio ubi de arbitrio Voluntatis, & DEI gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur. Quando autem asseritur DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri.

a lib. 1. de peccat. Orig. contra Pelagium.

VII.

Nos verò inter hos scopulos è diametro oppositos media navigabimus via, tam Scillam Pelagianorum & *πελαγιαν. Σύρτων* ad dextram, quàm Charybdin Enthusiastarum ad sinistram prudenter declinantes.

VIII.

Cynosura, in quam fixis & immotis oculis, directè intuebimur, erit Verbum DEI lucidissima luce lucidius.

IX.

Remorum vicem sustinebit methodus, vel *μέθοδος* *ἡ ἀρίστη* monstrans *ὡς Πισκεπλέον*, id est, quomodo hæc & aliæ quæstiones intricatæ scite ac ritè pertrahandæ sint.

Aristot. 1. de part. animal. c. 1.

X. Mem-

X.

Membra eius quinque sunt.

- Quorum
- I. *Ἰσόματι & ἀεθίγνωσι*
 - II. *Ἰζητουμενε κατατάσσι*
 - III. *Ἰρθοδοξίας κατασκευῶ*
 - IV. *Ἰψευδοδοξίας αἰασκευῶ*
 - V. *Ἰἀντιπυτιούτων λύσιν sibi vendicabit.*

XI.

CHRISTVS qui est Via, Veritas & Vita, ducat nos, in via Verbi sui in omnem veritatem.

II.

Tractatio Problematis.

XII.

Quod Philosophus, in dissertatione de Cælo, præmonuit: *ἔπωμεν δε πρώτων τί λέγομεν εἶναι τὸν ἕρανδον, καὶ ποσαχῶς ἵνα μάλλον ἡμῶν δῆλον γρήται τὸ ζητέμενον:*

1. de celo c. 9.

XIII.

Illud facile possumus facere tratatitium, & ad præsens hoc institutum hunc in modum accommodare:

In vestibulo huius Disputationis dicamus primùm quid propriè appelletur Liberum arbitrium, & quot modis vocabulum istud accipiatur.

XIV.

Duo igitur, in hac *πεδοδασκαλία, Ἰσαφηνείας ἕνεκα*, breviter prædelibanda sunt: *definitio* nimirum & *distinctio nominis.*

*2. ἀεθίγνωσι
σεθίγνωσι.*

XV.

Ad definitionem verò *nominis* pertinent *Synonyma* diversis è linguis.

*1. definitio
nominis.*

1. Hebraei

XVI.

1. *Hebraei unâ voce ככך, & per syncopen, כל utrumq;
& iudicium & deletum, complectuntur.*

Deut. 6. 5. c. 29. 4.

XVII.

Iuxta regulam enim tritani & vulgò notam:

*Vocabula notitia, apud Hebraeos, connotant affectum, qui
sequitur notitiam.*

XVIII.

2. *In Graeca lingua plura sunt nomina, quibus Liberum
arbitrium notatur.*

XIX.

*Apud Phavorinum τὸ ἀντεξέσιον & ἡ ἀντεξασίτης, ab b
Hieronymo ἡ ἀντεξασία, ab alijs τὸ ἀντεθελασιον illud appellari
scribitur.*

b. lib. 3. dial.

XX.

*Sed nomina isthæc nimis sunt insolentia & gloriosa: si-
quidem τὸ ἀποθέσσωσιν id est, quod nullius dominio est subje-
ctum, quodq; nulla planè vi & potestate superiori, prohibe-
ri potest, significant.*

XXI.

*Ideoq; cum alijs paulò commodioribus illa ut commu-
tentur suadent Theologi quidam magni nominis.*

XXII.

*Idq; exemplo & imitatione Patrum Graecorum, qui &
alia Synonyma usurpârunt.*

XXIII.

*In primis verò Iustini Martyris, à quo liberum arbitri-
um ἐλευθέρα προαιρέσις, & τὸ ἐφ' ἡμῶν, nec non Irenæi, à quo il-
lud ἐξουσία προαιρέσεως nominatur.*

c. lib. 4. c. 71.

XXIV.

3. In *Lingua Latina* communiter usurp. & consuevit ad
Liberum arbitrium.

XXV.

Quod ut planius pleniusq; intelligatur: veram huius
nominis *σημασίαν* & *συναγωγίαν* paucis attingere & pe-
gere allubescit.

XXVI.

I. *σημασίαν* igitur istius nominis quod attinet: sunt qui-
dem nonnulli, qui illud puerili *πλεονασμῶ*, vel futili & inuti-
li *ταυπολογία* laborare autur ant.

XXVII.

Siquidem arbitrium nullum vel cogitari possit, quod
non sit liberum, & si quid sit, quod non liberum, eo ipso
quod non sit liberum, arbitrium esse nequeat.

XXVIII.

Sed sciendum, quod non temerè libertatis terminus
ab orthodoxa Vetustate sit additus: sed ob *duas* maximè
causas.

XXIX.

1. Ut gemino hoc nomine geminum Liberi arbitrij ob-
jectum perstringatur.

XXX.

Habet enim illud sedem suam *partim* in mente vel in-
tellecū, cuius respectu dicitur *Arbitrium*, & *partim*, ac qui-
dem primariò, in Corde vel Voluntate, cuius respectu *Libe-
rum* appellatur.

XXXI.

2. Ut eodem *ἕξοχή* vel excellentia gradus in libertate ina-
nuatur.

XXXII.

II. *συνώνυμα* huius vocabuli in Latina lingua, plura adducē
cipossent. Sed sufficiant è multis hæc paucula.

Tertul-

Tertullianus vocat *libertatem* & *potestatem arbitrij*, item *proprium cuiusq; hominis arbitrium*, & *potestatem*.

d Augustinus appellat *liberam voluntatem*, nec non *potestatem Voluntatis*,

d *lib. 3. de lib. arbitr. c. 3.*

Loca Scripturæ, quæ huc accommodari possunt, hæc videntur esse :

Ioh. 8, 36. Rom. 6, 18. c. 8, 21.

2. Cor. 3. 17. 1. Cor. 6. 12, 1. Cor. 7. 37.

Ceterum ut ad distinctionem *huius nominis* progrediamur: *gemina* sane inibi latet *quæ corruptela*.

I. Liberum *interdum* opponitur *coactio* idq; dicitur liberum quod non est coactum, vel, quod est spontaneum. Hoc enim propriè *coactio* opponitur, & non Liberum.

Interdum verò, & quidem propriè, Liberum opponitur *Servo*, idq; appellatur Liberum quod non est servum.

Et hoc sanè sensu ac respectu(e) Lutherus, & nos cum Luthero Arbitrium hominis non Liberum : sed servum, potius, vel rem de solo titulo, titulùmve sine re nominandum esse censemus.

e *in libr. de servo arbitrio*

tom. 3. len. Lat.

2. Liberi arbitrij appellatio vel *communiter* vel *propriè* accipitur;

1. *Com-*

2. *Nominis dñ
finitio.*

XLI.

I. *Communiter* accipitur 1. pro altera facultate animæ, ipsa nimirum *Voluntatis substantia*.

XLII.

2. Eâdem admonetur, præter motûs & actiones naturales, hominem quoq; habere motûs voluntarios, ad quos exercendos mentis iudicium, & *Voluntatis appetitio* concurrat.

XLIII.

3. In vitijs & virtutibus, ut actiones vel bonæ vel malæ dicantur, requiri mentem cognoscentem & *Voluntatem*, vel obtemperantem vel repugnantem iudicio.

XLIV.

4. Sumitur interdum pro aptitudine & possibilitate illa passiva, qua voluntas humana per gratiam Spiritus sancti capax fieri potest conversionis, quam aptitudinem truncus, imò Diabolus non habet.

Chemnitius Tom. 1. f. 448. 449.

XLV.

Atq; in his sanè significationib. liberum arbitrium homini omninò concedendum est.

XLVI.

Et huc non incommodè referri potest illud *ἡλικαδισον*

(e) Ambrosij:

Homo à Diabolo spoliatus non Voluntate: sed Voluntatis sanitate privatus est.

e lib. 1. de vocat. gent. c. 3.

XLVII.

II. *Specialiter* Vox Liberi arbitrij sumitur pro innata aut donata potentia, qua possumus tum bona liberè eligere: tum mala liberè respuere.

XLVIII.

Et hoc sensu accipitur in præsentî Disputatione, cuius prima parti, in qua definitionem & distinctionem Nominis

B

præ-

præmissimus. Colophonem jam imponimus, facientes inde
rectâ transitum ad ipsum Controversiæ illius arduæ & diffi-
cilis statum.

CAPUT II.

Status Controversiæ.

XLIX.

Qui ut rite ac scitè formetur ac constituatur: initio
huc repetenda est (f) ex Libro Concordiæ distinctio *quatuor*
statuum hominis, secundum quos diversimodè considerari
solet ac potest.

*Quatuor sta-
tus hominis.*

f. Art. 2. de Liber. Arbitr.

L.

Primus status est naturæ institutæ vel innocentis & inte-
gritatis ante lapsum Gen. 2.

LI.

Secundus est naturæ destitutæ, vel corruptionis post la-
psum ante conversionem & in conversione.

LII.

Tertius est Naturæ restitutæ vel reparationis aut rege-
nerationis non quidem plenæ vel consummatæ, sed *semiple-*
na vel *incoata* in hac vita.

LIII.

Quartus itidem est naturæ restitutæ vel reparationis &
regenerationis non autem *semiplenæ* aut *incoatæ*: sed ple-
nissimè consummatæ, vel, ut vulgò appellari consuevit,
status glorificationis *in altera vita*.

LIV.

*De quatuor
statibus
hominis.*

Quæstio igitur principale in hac Controversia non est
de statu primo, nec de tertio, nec de quarto.

L V.

In primo enim homo omnino *liberum* habuit arbitrium,
teste Syracide c. 15, 14, 15, 16, 17, 18

In

LVI.

In *tertio* habet arbitrium, Spiritus sancti gratia, à servitu-
te peccati *liberatum*, eiq; cooperatur, non quidem *omnino*
υπηκουσ: sed *εσπευει* SPIRITUS sancti.

Rom. 7, 22. Gal. 2, 20. 1. Cor. 15. 10.

LVII.

In *quarto* non modò liberum: sed *liberrimum* arbitrium
habitori sumus, id est, omnibus sublati infirmitatibus carnis
& peccati undiquaq; reatum & perfectum.

1. Cor. 15, 12. 1. Iohan. 3, 2.

LVIII.

Verùm cardo huius disputationis volvitur in *secundo ho-* bitis veri &
ruxine
minis *statu*.

Ubi tamen iterum adhibenda distinctio actionum homi-
nis, quæ in *duplici* sunt differentia.

LIX.

1. Quædam sunt *externa & mundana*. Quædam verò *in-*
terna & spirituales.

LX.

De *actionibus externis* nulla omnino est disceptatio. In
his enim aliquam adhuc libertatem reliquam esse homini et-
iam non renato Sacris è literis facilè testatum ac probatum
reddi potest.

LXI.

1. Etenim menti etiam non renovatæ cogitationem, agni-
tionem, veritatem, &c. tribuit Apostolus.

Rom. 1, 20.

LXII.

2. Idem affirmat esse aliquam Iustitiam Carnis

Rom. 2, 14. c. 10, 3. Phil 3, 4, 6.

LXIII.

3. Dicit quoq; legem esse objectum liberi arbitrij, etiam
injustis.

1. Tim. 1, 9.

De

LXIV.

De actionibus verò internis & spiritualibus à diversis diversa, diversis temporibus, motæ fuerunt disputationes.

LXV.

Unde factum, ut non uno semper modo status controversiæ formatus fuerit.

LXVI.

Nos ut omnia in summam contrahamus: eundem hæc comprehendimus quæstione; quæ in frontispicio Disputationis etiam posita:

Status Conversionis.

An videlicet homo, in secundo adhuc statu, qui est corruptionis, constitutus, ex suis viribus legi Divinæ possit satisfacere, & num ex naturali quadam divini se posse preparare & applicare ad gratiam, inq; ipso tẽpore Conversionis, vel aliqua saltem ex parte SPIRITV I sancto in actionibus Spiritualibus, cooperari?

LXVII.

Huius autem Ἐπιμαρ & Negativam Orthodoxi amplectuntur & defendunt: Affirmativam verò Heterodoxi.

LXVIII.

Negativa sententia verè exponitur.

Statuunt igitur & profitentur Orthodoxi, hominem non renatum in Spiritualibus planè mortuum, inq; eo ante conversionem, & in conversione nullam omnino esse vim liberi arbitrij: sed illum se ad hanc purè passivè habere.

LXIX.

Totum autem Conversionis opus esse merè divinum, sed non ἀμεσον: sed ἐμμεσον, non raptu quodam violento: sed certa per media certorũ ordine illud peragi.

LXX.

Media Conversionis.

Media duũ sunt generum: Quædam adhibet DEUS ex sua parte. Quædam nos habemus ex parte nostra, & hæc illis sunt ἀντιστοχα.

Media

LXXI.

Media ex parte DEI vicissim, vel sunt ἀκυσὰ καὶ ἰσοηπαῖ, ut prædicatio Verbi, in quo promissiones αἰ καθόλου omnibus in univèrsam annunciantur:

LXXII.

Vel ὁμοπαῖ καὶ αἰ ὁμοπαῖ, cuiusmodi sunt duo Sacramenta, Baptismus & Cæna DOMINI, quorum illud Initiationis: hoc Confirmationis Sacramentum dici solet.

LXXIII.

Utroq; cuilibet καθ' ἑκαστον & singulatim beneficia Christi non modò obsignantur: sed conferuntur etiam & applicantur.

LXXIV.

Et in baptismo quidem per aquam verbo DEI copulatam, eoq; comprehensam.

LXXV.

In Cæna autem per Carnem & Sanguinem CHRISTI pane & vino non signata: sed unione Sacramentali verè & realiter cum iisdem conjuncta.

LXXVI.

Media ex parte nostra, illis quibus DEUS sua ex parte nobiscum agit, ἀντίστοφα sunt: 1. Verbi auscultatio & meditatio. 2. Sacramentorum usurpatio.

LXXVII.

Quæ, ut iam dictum, Mediæ, non autem Meriti (sive de congruo sive de condigno) rationem habent; nec valent ex mero opere operato: sed vi ordinationis & εὐδοκίας DEI, de qua

1. Cor. I. 22.

LXXVIII.

Sicut enim non διὰ τὴν πίστιν propter fidem justificamur, meritorie, sicut nugantur Romanenses: sed (NB) διὰ τὴν πίστιν PER FIDEM organicè: ita quoq; non propter sed

B 3

PER

PER Verbi auscultationem ac meditationem, & Sacramen-
torum usum conversionis nostræ reddimur participes.

LXXIX.

*Ordo con-
v. & s. ordo.*

Ejus verò *Ordo* sic se habet:

1. Curat DEUS prædicari Verbum, & administrari
Sacramenta, estq; promptus & paratus, vi Ordinationis &
promissionis suæ, per hæc media, SPIRITU sancto suo
operari conversionem.

LXXX.

2. Verbum prædicatum serio affectu, & discendi studio
nobis audiendam, Sacramentis item eo, quo par est, modo
utendum.

LXXXI.

3. Hoc dum fit: adest SPIRITUS sanctus inq; cordi-
bus nostris operatur efficacissimè movendo tum intelle-
ctum tum voluntatem, ita, ut ex intellectu cæco fiat intelle-
ctus illuminatus: ex voluntate autem rebelli voluntas
prompta & obediens.

LXXXII.

4. Hinc emergit fides, Organon illud nobilissimum, quo
CHRISTUM, omniaq; ipsius beneficia nobis applicamus.

LXXXIII.

5. Quo facto, id est, in hoc statim fidei accensa puncto,
jam sumus conversi, atq; adeò è statu Corruptionis in statum
Gratiæ translati.

LXXXIV.

Hæc summa est veræ & sinceræ, de Conversione hominis,
doctrinæ, quam tenent & profitentur Orthodoxi.

LXXXV.

*Opiniones He-
terodoxorum*

Heterodoxorum opiniones, variæ quidem sunt & diver-
sæ: ad duas tamen classes primarias rectissimè referrî pos-
sunt ac solent.

LXXXVI.

Prior sibi vendicat errores eorū, qui καθ' ἰσπερβολήν regiā
& militarē veritatis cœlestis jã breviter adūbratæ viā trāsiliūt.

Postea

Posterior verò delitamenta complectitur eorum, qui κατ' ἑλλάσθη ἀ vera nostra doctrina defleant.

LXXXVII.

κατ' ἑλλάσθη qui errant vel sunt primi vel à primo orti. 1. Eorum qui κατ' ἑλλάσθη ἀ vera doctrina defleant.

LXXXVIII.

Primus, à tempore Apostolorum, fuit Pelagius Monachus ille Britannus, qui vixit, etate Hieronymi & Augustini circa annum Christi 415, juxta Prosperi Chronicon.

LXXXIX.

Erroris ejus, quem in hoc suis cum affectis erravit articulo, σωψις, ex Hieronymo & Augustino descripta hæc est:

Hieronymus in Epist. ad Cresiphontem.

Ita DEI gratiam ponunt Pelagiani, ut non per singula opera ejus nitamur, & regamur auxilio: sed referunt ad Liberum arbitrium, & ad præcepta legis, ponentes illud Esaiæ: Legem DEVS in adiutorium posuit, ut in eo DEO referenda sint gratia, quod tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possumus eligere bona, & vitare mala.

August. lib. de grat. cont. Pelag. & Cælestinum:

Pelagius dicit in libro de Libero arbitrio: habemus possibilitatē utriusq; partis à DEO insitam, velut quandam (ut ita dicam) radicem fructiferam, atq; fœcundam; quæ ex Voluntate hominis diversa gignat & pariat; & quæ possit, ad proprium cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.

Plura legantur in V. Cent. Magd. f. 578. 579.

XC.

Aprimo hoc Hæresiarcha orti sunt ei πελαγιστῆρες, qui vicissim partim Antiquiores ut Papista; partim Recentiores, ut Semipapista vel Synergista.

Papista

XCI.

Papista iterum in duplici errore hic versantur:
Partim enim Hominem nondum-venatum ex viribus suis naturalibus, initium aliquòd facere posse, ad suã conversionẽ vel certẽ in ipsa regeneratione & Conversione DEO cooperari:
Partim verò hominẽ jam-Renatum & Conversum legem DEI in hac vita perfectẽ implere, & per hanc legis impletionem justificari, vitamq; æternam promereri posse contendunt.

XCII.

Suntq; iterum partim *Scholastici*: partim verò *Monachi*.

XCIII.

Propria utriusq; Ordinis testimonia in promptu sunt.

XCIV.

Et quidem ex scriptis *Scholasticorum* hæc:

Patriarcha Scholasticorum Lombardus

lib. 2. sent. dist. 26:

Ipsa tamen eadem Voluntas quedam gratiæ dona prævenit.

Et distinct. 27.

Sicut verbi gratia ex fidei virtute & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus, & remunerabilis, scilicet ipsum credere: ita ex charitate & libero arbitrio alius quidam motus bonus provenit, scilicet diligere, &c.

Thomas lib. 2. sent. dist. 28.

Dicimus quòd ad gratiam gratum facientem habendam, ex solo *Libero arbitrio* homo se potest præparare. Faciendo enim quod in se est, gratiam DEI consequitur. Hoc autem solum in nobis est, quod in potestate *Liberi arbitrij* est constitutum.

Similia Sophistica Scholastica Emblemata videre licet in

Gabriele Biel. & Bonaventura in 26. &

27. Dist. lib. 2. Lomb.

Inter

XC V.

Inter *Monachos* agmen ducit infelix illud *Monachorum* genus, quos à primo Inventore & Ordinis Magistro Lojola, Lojolitas rectissime denominamus. Quid verò hi? hæc paucula saltem accipe, ex uno, qui reliquorum omnium instar, *Bellarmino*.

Bellarmin. lib. 5. de justificat. c. 22.

Potest homo (NB) nondum - reconciliatus per opera penitentia impetrare & mereri ex congruo gratiam justificationis.

Idem lib. 6. de grat. & Lib. Arb. cap. 11.

Cooperamur DEO, non solum ut adversarij volunt, post justificationem: sed etiam in (NB) ipsa justificatione, & initio fidei.

Item. Non nisi cooperantibus nobis, DEVS salutem nostram operatur.

Idem lib. 4. de justif. cap. 10.

Porro Catholici omnes summa consensione contrarium docent. Fatentur enim primò legem DEI justis hominibus absolutè esse possibilem, non quidem per solas Vires Liberi arbitrij, ut Heretici calumniantur nos dicere: sed per auxilium gratie DEI, & SPIRITVM fidei, & caritatis in ipsa justificatione nobis infusam.

XC VI.

*Semipapista vel Synergista, sic dicti, quod etsi alias Papistæ videri volebant: unà cum Papistis tamen *εὐσέπεια* quandam voluntati humanæ in rebus spiritualibus tribuebant, inque his hominem non plenè emortuum: sed semimortuum salutem & graviter vulneratum esse tradebant.*

XC VII.

Idem enim à Papistis, quoq; doceri, ex his eorum enunciatis cognoscere licet.

Concil. Trid. sess. 6. cap. 1.

C

Tametsi

*Tametsi in eis (Iudæis) Liberum arbitrium minimè extin-
ctum esset, viribus licèt attenuatum & attritum.*

Francisc. Coster. in lib. controuv. p. 197.

Cum univèrsis hominibus, qui aliquid iudicij habent, confitendum, naturam liberi arbitrij per peccatum in homine neq; interijisse, neq; solum à concupiscentia, more bestiarum, ad ea, quæ carnis sunt, impelli, neq; à D E O instar stipitis ad bonum moveri; sed ipsammet Voluntatem liberè agere, D E Iq; motiones posse repellere, fatendum tamen est, Voluntati per peccatum, non parvum vulnus inflictum esse.

XCVIII.

Quinam verò erroris huius Autores, qui item eiusdem propagatores? qui propugnatores?

XCIX.

Autor primus ante Lutheri obitum fuit Erasmus Roterdamus, qui in Libro suo, quem in gratiam Pontificiorum ut pileum Cardinalitium à Papa Romano impetraret, contra Lutherum edidit, in quo Voluntati humanæ vim quandam adscribit, applicandi se ad gratiam licèt illa admodum sit tenuis & duntaxat per pusillum aliquid & modiculum, uti ipse loqui consuevit.

C.

Post obitum autem Lutheri errorem hunc Erasmi interpolare ac propagare ausi sunt, non tantum sphingis illius Augustanæ Patres: sed eiusdem quoq; Patroni?

legatur XVI. Cent. Osiandri f. 505.

CI.

Inter etiam fuit (utinam non fuisset! quos quàm libenter ipsius patceremus nomini!) de republ. literaria meritissimus ille longeq; celeberrimus Vir Philippus Melancthon, piæ & sanctæ memoriæ, sicut videre licet.

In art. V. & XVIII. Confessionis August. mutatæ, in edit. mutata Apolog. August. Germ. art. XVIII.

Item

Item in edit. locorum Com. qua incidit in annum
CHRISTI 48, 52, 55, in Refut. Art. Bavaric:
Et in Examine Ordinandorum, ubi inter causas
concurrentes in hominis conversione etiam nu-
merat VOLUNTATEM ASSENTI-
ENTEM, & non-repugnantem Verbo DEI.

CII.

Philippi Præceptoris auctoritatem secuti sunt & tutati
ipſius Discipuli, qui in propagando & propugnando isthoc
errore plus iusto fuerunt *περισσοποληπται.*

CIII.

Inprimis vero a Iohannes Pfeffingerus, b Georgius Ma-
jor, & c Victorinus Strigelius:

a in disp. anno 1555. Lipsia habita prop. 12.

Vide Osian. Cent. XVI. f. 837.

b in Hom. in Epist. & Dominic. & fest p. 233. & 234.

c. in disputat. Vinar. Ab. 5. item in comment. suo su-
per Psal. Davidis, & in Declar. sua Anno
Christi 1563. edita.

CIV.

Tantum de Heterodoxis, qui κατ' ἄπολλω in dando
& affirmando Vires hominis modum excedunt: conse-
quens est, ut audiamus eos, qui in altera classe continentur,
atq; adeo in auferendo & negando, κατ' ἐλλεψιν, à medio de-
flectunt.

II. Heterodo-
xi qui errant
in defectu.

CV.

Pertinent autem ad hanc classsem:

Primò Manichæi, qui circa A. D. 276. orti, induxerunt fa-
tum; peccatorum originem non libero arbitrio sed substantia
tribuerunt; peccata necessitatis esse docuerunt; ipsam enim Bo-
ni-Dei substantiam, animam scilicet, ex parte qua capta est, cor-
ruptam & oppressam, & ad peccandi necessitatem perductam esse.

Cent. 3. Magd. f. 113, 114. ex Socrate & August.

C 2

Secundò

CVI.

Secundò *Enthusiasta*, qui iisdem *Εὐχῆται* dicti circa A. D. 380. à *Messalio* quodam, orti sunt, inter quorum deliria, quo ad hunc locum, hæc duo annotantur.

lib. 7. hist. tripartita c. 11.

1. Spiritum sanctum sensibilibus operari in nobis; ita quidem, ut de eius presentia iudicium sit faciendum ex externis & sensibilibus motibus.
2. Spiritum sanctum talem renovationem hominis operari, ut *Voluntas* prorsus jam sit libera, & in integrum restituta neque amplius concupiscens ad versus Spiritum: sed sine omni lucta obediat; ac proinde neque exercitijs pietatis, neque admonitionibus, neque comminationibus, neque correptionibus amplius opus habeat, propterea quod omnia mala conscientia penitus exterminata homo totus factus sit *Spiritualis*.

CVII.

3. *Svvenckfeldiani* & *Anabaptista*, qui ultimo hoc seculo enthusiasmum multis retro seculis sepultum, resuscitarunt adeoque arcano raptu sine adminiculo verbi Conversione fieri somniarunt.

CVIII.

Lubet tantum huc adscribere prodigiosos quosdam terminos, quibus prodigiosa *Anabaptistarum* sectæ prodigiosus autor & Magister *Muntzerus* gradus prodigiosæ suæ Conversionis indigitavit.

1. Entgröbung.
2. Studierung.
3. Verwunderung.
4. Die Langeweil.
5. Die Verpöngung.

Chemnic. part. 1. Loc. f. 498.

CIX.

4. *Flacianis* fingentes *DEUM* in Conversione & regeneratione novum *Cos*, atque adeo novum hominem ita creare, ut veteris *Adami* substantia & essentia (cum primis verò anima rationalis) penitus aboleatur, & nova anime essentia ex nihilo creetur. in libr. *Christ. Conc. p. 581. & 678.*
5. *Zwing-*

5. *Zwinglio-Calviniani* Stoicos & Manichæos secuti, omnia necessariò fieri, a deoq; immutabilem quandam salutis nostræ αἰώνιον ex immutabili, absoluto & æterno DEI decreto, eoq; nobis abscondito, dependere.

Hermannus Rennech. in Cat. aurea p. 28. 32.

*Itemq; Georg. Spindl. in admonitione per-
necessaria f. 181. 183.*

Et hæc enus plus satis de statu Controversiæ, eiusq; thesi vera Orthodoxorum; & Antithesi falsa, quam Heterodoxi propugnare conantur: transeundum jam ad illius Confirmationem, & inde ad huius confutationem.

CAPUT III.

Confirmatio thesios veræ.

Theosios veræ summa unico potest verbulo comprehendî, & apertè pronounciari:

*Liberum arbitrium in rebus spiritualibus, in statu corrupti-
onis, inq; ipsa hominis ad DEVM conversione plane NIHIL
valere.*

Ἰσχυὴ καὶ καθολικὴ δὲ ἀπόδειξις, qua pronounciati huius veritas *ἀπόδειξις
καθολικὴ,* & certitudo evincitur, talis è scriptura contexi potest:

*Quodcumq; planè cæcum est & ignarum rerum divina-
rum, nec ullo modo ad has capiendas & experendas idoneum, sed
est penitus à DEO aversum, ipsiq; adversum, quodq;
totum Conversionis suæ opus in solidum DEO acceptum referat
necessum habet: id utiq; in rebus Spiritualibus, inq; ipsa sua ad*

DEVM conversione planè NIHIL valet:
Sed prius de homine non-renato verissimum est.
Ergo etiam posterius verissimum certissimumq; sit neces-
sum est.

CXIV.

Copulatum per se patet, & quidem partim ex loco cau-
sarum, partim ex loco definitionis.

CXV.

Assumptum è scriptura confirmari potest facile proli-
sissimeq;. Idq; tum ὀλικῶς καὶ ἁρικῶς: tum μερικῶς καὶ εἰδι-
κῶς.

CXVI.

1. Probatio
ὀλικῶς.

ὀλικῶς καὶ ἁρικῶς probationem suggerit nobis 1. Esaias
c. 1. ubi sonora voce edisserit: *Omne caput esse agrum & om-
ne Cor infirmum, nec à planta pedis usq; ad verticem in homi-
ne sanitatem, sed vulnus livorem & plagam recentem,*

CXVII.

2. Paulus ad Rom. 3. ubi integram hominis corrupti
πρωτογενεῖαν pingens affirmat 1. *de mente: non est in-
telligens.* 2. *De Voluntate, non est qui exquirat.*
3. *De vanitate & infirmitate omnium virium: Omnes
deflexerunt & inutiles facti sunt.* 4. *de κακοπραξία omni-
um membrorum interiorum & exteriorum.*

a v. 13. usq; ad 19.

CXVIII.

2. Probatio
μερικῶς tri-
partita.

μερικῶς καὶ εἰδικῶς βεβαίως erit tripartita. Assumptum
enim & ipsum tripartitum est. Ideoq; probanda 1. ἀδωα-
μία. 2. ἀνπροαίτια. 3. Solius DEI ἐνεργεια in homine non
renato, & jam convertendo.

CXIX.

Probatio
εἰδικῶς.

1. ἀδωαμία duplex est: altera in mente & intellectu, al-
tera in Voluntate & corde vel appetitu hominis haeret.

In

CXX.

In mente & intellectu est horrenda cæcitas, & omnium rerum divinarum ἀγνοια; id quod hæc scripturæ ἀξιώματα maxime ἐμφανῆ plusquam abundè testantur.

CXXI.

I. 1. Cor. 2. Ψυχικὸς ἀθρώπος (id est. interprete Luthe-
ro, πνεῦμα μὴ ἔχων & δέχεται τὸ πνεῦμα). Ἔστι stultitia est il-
li, & NON POTEST (& δύνάται) γινῶναι. (Cur?) ὅτι πνευ-
ματικῶς ἀνακρίνεται.

CXXII.

In quo Apostolidictio: non tantum πὸ ὅτι asseritur: sed πὸ διότι quoq; additur, id est, causa, ob quam Homo Ψυχικὸς non sit, δυχεται πεφικὸς τῆ γνώσεως rerum spiritualium. Ea verò est, quòd ipsi desint κριτήρια πνευματικὰ.

CXXIII.

II. Eph. 4. v. 17. ubi gentibus - non - renatis hæc quatuor assignantur περισκείμενα vel attributa: 1. ματαιότης ἔριδος, 2. σκοπισμὸς τῆ διανοίας 3. ἀγνοια ἕσα ἐν αἰῶνι. 4. πῶρωσις τῆ καρδίας.

CXXIV.

III. Huc accedunt ea scripturæ loca, in quibus homo Ψυχικὸς διδραχδην appellatur Tenebra, ut

Esaiæ. 9, 2. c. 60, 2. Ioh. 1, 5. Act. 26, 18.

1. Ioh. 1. & c.

CXXV.

In voluntate verò & corde vel appetitu nulla est vis & ἐκινότης ad morus spirituales.

CXXVI.

Sic enim apertè & difertè docet Apostolus 2. Cor. 3.

Non sumus inavoi, ex nobis ipsis cogitare quicquam,
tanquam ex nobis ipsis.

CXXVII.

Idem confirmant & attestantur hæc Spiritus sancti ora-
cula

cula maximè significantia & ponderosa:

Gen. 6.

כל יצר מחשבת לבו רק רע כל-היום

OMNE FIGMENTUM COGITATIONUM CORDIS EIUS (scilicet hominis) TANTUMMODO MALUM.

Ier. 17.

id est, עקוב הלב מכל יאנש

SUPLANTATIVUM est COR plusquam dici potest, planeq; desperatæ curationis.

CXXVIII.

Et quid multis è homo non-renatus in rebus spiritua-
libus planè mortuus esse dicitur. Tantum abest, ut suapte vi se
excitare possit ad gratiam DEI amplectendam.

Ioh. 5, 21. Eph. 2, 5. Col. 2, 13. 1. Tim. 5, 6.

Apoc. 3, 1.

CXXIX.

2. ἀντιπατάεια porro id est pugna & iusta Carnis adver-
sus Spiritum & Voluntatem DEI ex his probatur scriptu-
ræ dictis;

Rom. 8. τὸ φρόνημα τὸ σαρκὸς ἐχθρὸν εἰς θεόν

Gal. 5. Caro concupiscit adversus SPIRITUM.

CXXX.

Et quid multis? Lettissimum illud vas gratiæ diviniæ
Paulus ingenuè fatetur; *Vide*, inquit, *aliam legē in mem-
bris meis rebellantem (ἀντιπατάειαν) legi mentis meæ & ca-
ptivum reddentem me legi peccati.* Quanto magis de illis qui
nondum renati nec conversi statuendum fuerit.

f Rom. 8.

CXXXI.

3. Quod contrà omnis ἐπέγεια in Conversione nostra
unicè & in solidum ascribenda sit soli DEO è sacris itidem
litteris tam notum est, quàm quod notissimum.

Inpri-

CXXXI.

3. Quid contra omnis ἐνέργεια in Conversione nostra
unicè & in solidum ascribenda sit foli DEO, è sacris itidem
litteris, tam notum est, quàm quod notissimum.

CXXXII.

In primis verò huc faciunt hæc πολυβρύλητα καὶ πάσης
ἀιδοχῆς ἄξια:

Ioh. 6, 44. Nemo potest venire ad CHRISTUM,
NISI PATER traxerit eum.

Ioh. 15, 5. Sine me (inquit Salvator) NIHIL po-
testis agere.

2. Cor. 3, 5. inavóτης nostra est EX DEO.

Phil. 2, 13. DEVS est, qui operatur VELLE &
perficere.

Iacob. 1, 16. OMNE donum perfectum è supernis est
descendens à PATRE LUMINVM.

CXXXIII.

Imò omne nostrum τὸ βρέχειν, καὶ τὸ πρέχειν τῆ εὐδοκίᾳ Vo-
luntatis suæ, ab ultima æternitate, clementissimus & ter-
pimus DEVS antevortit.

Eph. 1, 5. Rom. 9, 11.

CXXXIV.

Et sic fuit Confirmatio thesæus Orthodoxorum veræ:
Ordo postulat, ut Refutationem antithesæus Heterodoxo-
rum falsæ subtexamus.

CAPUT IV.

Confutatio Antithesæus falsæ.

CXXXV.

Hæc verò duplex, pro duplici ἰ ἀντιθέτων genere.

D

Eorum

CXXXVI.

Eorum, qui καὶ ἕτερον ἔχουσιν errant, opiniones in hoc
conveniunt omnes. quòd opus Conversionis non DEO in totum
solidum sit adscribendum: Sed in hoc aliquam esse vim Volunta-
tis Divinae.

CXXXVII.

Sed hic error à nobis rejicitur & damnatur ideo, quòd
in multos Religionis nostrae articulos adversà fronte impina-
gat.

CXXXVIII.

1. In articulum de officio CHRISTI, de quo manifestè
affirmatur, 2) quòd sit ἀρχηγός, καὶ πλειωτὴς τῆ πίστεως. Ergo
etiam Conversionis.

CXXXIX.

2. In articulum de Merito CHRISTI, cuius absolutis-
simae perfectioni tantum derrahitur, quantum Voluntati
humanae vel Merito de Congruo aut Condigno tribui-
tur.

CXL.

3. In articulum de Peccato Originis, quòd non est pura
puta privatio saltem: Sed corruptus in super habitus totius
hominis, & omnium vitium eiusdem, adeò, ut is ex se in re-
bus spiritualibus & salutem concernentibus, quatenus tales,
nihil prestare valeat; imò naturà eas averfatur, DEOq; ada-
verfatur.

CXLI.

4. In articulum de gratia DEI, quae omnem omnium
operum, omnique meriti respectum omnino excludit, sibi-
salutis nostrae procuracionem unice & in solidum ven-
dicat.

CXLII.

Sic enim *Regius Psalter* Psal. 32. & 69. MISERI-
CORDIA.

CORDIA DOMINI PRÆVENIT ME, ET MISERICORDIA EIUS SUBSEQVETUR ME.

Et Apostolus Rom. 11.

Quod si per gratiam: jam NON EX OPERIBVS (sive meritis) ALIOQVIN GRATIA NON ESSET GRATIA.

CXLIII.

Cum quo consentiunt

Augustinus in Psalm. 31.

Quare, inquit, gratia? quia gratis datur, quare gratis datur? quia gratis constat.

Basilii de humilitate.

Totum DEI gratia & dono debemus.

Bernhardus serm. 67.

Non est, quò gratia intret, ubi meritum occupavit.

CXLIV.

5. In articulum de officio SPIRITVS sancti, de quo Lutherus in exegesi 3. Articuli Symboli Apostolici in Catechismo:

Credo me proprijs rationis mea viribus IESV CHRISTO Domino meo fidere, aut ad eum accedere nullo modo posse: sed SPIRITVS sanctus per Evangelium me vocavit, suavis donis illuminavit, recta fide sanctificavit & conservavit: Quemadmodum solet totam Ecclesiam in terra vocare, congregare, illuminare, sanctificare, & in IESV CHRISTO per rectam unicam fidem conservare.

CXLV.

6. In universam sacram Scripturam, quippe qua homini nondum renato omnem *εγγυνηλευ δυνάμιν* in rebus spiritualibus passim adimit, quemadmodum testimonia superius allegata liquidissime confirmant,

D 2

In

2. Refutatio
eorum qui
errant x. &
d. & c.

CXLVI.
In Catologo eorum, qui *car. 1. d. 1. & 2.* in hoc errant articulo, primum obtinent locum *Manichaei*, quos ex professo, peculiaribus quibusdam scriptis, refutavit Augustinus.

CXLVII.
Nos quia eorum error idē est ferē cum delirio *Zvvinglii* & *Calvinianorum*, de Causa peccati, quod proxia disputatione refellimus, ulteriori illius refutatione hic superledemus.

CXLVIII.
Entusiastarum, *Schrovenfeldianorum* & *Anabaptistarum* phantasmata sacris literis esse dissentanea, ex capite huius Disputationis II. satis liquet.

CXLIX.
Hic, *ex 1. d. 1. & 2.* addimus 1. *dictum* Apostoli, quod totam commentum istius structuram, uno quasi ictu, prosternit.

Rom. 10, 17.
FIDES EST EX AUDITU, AUDITVS per
VERBVM DEI.

CL.
2. *Exempla* ex Actis Apostolicis maximē memorabilia.
c. 2, 10, 13, 16.

CLI.
Flacianorum opinio cum sensu communi pugnat adeoque sua ipsius absurditate considit; nec quicquam valet, quod de *creatione cordis mundi*, de *corde novo*, de *homine novo*, &c. afferunt; siquidem non simpliciter de *Creatione cordis*, aut de *corde & homine*: sed de *creatione Cordis MUNDI*, itemq; de *Corde NOVO & homine NOVO* sermo fit.

CLII.
E quibus vel *epirhetis* luculentissimē apparet, non de *mutatione secundum substantiam*: vel de *Creatione propriē sic dicta*: sed de *RENOVATIONE* accidentaliter *phrases illas intelligi oportere.*

Sed

CLIII.

Sed sufficient, hęc quoq; de IV. capite: Reliquum est V. & ultimum, quod brevissimè etiam dabimus expeditum.

CAPUT V.

Solutio præcipuarum Objectionum.

CLIV.

In priori Errantium classe sunt: 1. Pelagiani qui abusi sunt multis Scripturæ locis, ad quæ rectissimè responderi potest, si hæ tres observentur & adhibeantur distinctiones: Responiones ad objectiones Pelagianorum.

CLV.

I. Inter facere legem, & facere legale quiddam, vel ut (i) Apostolus loquitur, *ἵνα ἔνομα*. Hoc homo - non renatus suis quodammodo viribus præstare potest: illud autem minimè. SOLUS vero CHRISTUS est *κτλ. & ἔνομα*.

i Rom. 2. 14. k Rom. 10. 4.

CLVI.

2. Inter diversos hominis status, de quibus in II. capite huius Disputationis.

CLVII.

3. Inter usus legis ante lapsum, & jam post lapsum, de quibus in ipso Disputationis actu.

CLVIII.

Iam saltem annotetur scitum istud Augustini:

O homo in præceptione cognosce, quid debeat habere; In correctione cognosce, tuo te vitio non habere: In oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere.

CLIX.

II. Papistæ, quorum antesignanus hodie est Bellarminus. Papistæ.

Resuſcita, qui licet errores Scholaſticorum improbare velle
videtur: audent tamen in Lutherum inſurgere, & veram &
ſinceram eius doctrinam propalam impugnare.

CLX.

Ubi *lib. 6. de gratia & libero arbitrio* hoc proponit the-
ma: *Homo poſt lapſum primi hominis verè eſt liberi arbitrij, in*
ijs rebus, quæ pertinent ad ſalutem, ut quamvis nihil poſſit ſine
auxilio gratiæ: tamen per gratiam prævenientem excitatus, &
à DEO adjuſtus ita valeat operari, ut poſſit etiam non ope-
rari.

CLXI.

Sententia verò hanc probare nititur *cap. X. & XI. Et*
capite quidem X. qua druptici testimoniurum genere è scriptura;
cap. autem XI. ex traditione Patrum.

CLXII.

Testimonia igitur *Scripturæ* quid attinet: in primo utique
eorum genere committitur fallacia *ερεπολησως*. Loquun-
tur enim illa de homine non, in ſecundo ſtatu, conſiderato,
ſed in tertio, in quo ſanè ipſe quoq; operatur; ſed *non ex ſua*
vi, ſed ex gratia SPIRITVS ſancti.

CLXIII.

Ad *ſecundum* breviter: A præcepto ad poſſe & eſſe
non valet conſequentia.

CLXIV.

Tertium iterum confundit ſtatum tertium cum ſecun-
do. Loca enim *Scripturæ* producta non de hoc: ſed de illo lo-
quantur.

CLXV.

Quartum falſa nititur hypotheſi: Non enim æquè in
hominis poteſtate poſitum eſt venire, atque eſt non ve-
nire.

Ad

CLXVI.

Ad traditionem Patrum facilis est responsio exijs, quæ capite primo, *περὶ εὐλογημένων* loco, præmisimus.

CLXVII.

III. *Semipapista* vel *Synergista* vehementer exagitant similitudinem Lutheri de trunco, quæ eò spectat quòd liberum arbitrium suapte natura adeò nihil valeat in conversione hominis, ut etiam nihil aliud possit quàm Spiritui sancto, nitenti operari conversionem, repugnare.

CLXVIII.

Et illo sanè respectu *deterior* est trunco; hoc autem, quòd solus homo est subiectum Conversionis habile, non *καὶ ἀόρητος* quidem activa sed passiva, eodem *melior*.

CLXIX.

In Classe errantium κατ' ἐξέψιν sunt 1. *Manichæi*, qui ex *Ier. c. 10, 23.* suum delirium palliare contendunt.

2. *Refutatio obiectio-
errantium
κατ' ἐξέψιν*

CLXX.

Sed fallunt & falluntur, dum à gubernatione eventuum ad agendi principium vitiosè argumentantur.

CLXXI.

2. *Enthusiastæ*, *Syvenfeldiani* & *Anabaptistæ* dictum *Ioh. c. 6. 45.* de violenta ἐλύσει interpretantur.

CLXXII.

At committunt paralogismum Divisionis, dum sophisticè omittunt τὸ ἀκέραιον καὶ μανθασίαν, cuius in sequenti contextu fit mentio.

CLXXIII.

3. Quod *Flaciani* de Creatione novi cordis &c. afferunt, sub finem capitis V. refutatum fuit.

CLXXIV.

4. *Zwinglio Calvinianorum περὶ τολογίας* refellimus Disputatione præcedenti.

Iam:

Iam Colophon huic Dissertationi imponendus est, ne
ultra modum illa excreseat.

III. Conclusio DISPU- TATIONIS.

CLXXVI.

Concludimus igitur: *Homini nondum renato nihil vi-
rium esse, quibus vel operando vel cooperando in actionibus in-
ternis, & spiritualibus, suam salutem promovere possit: sed illud
subiectum esse merè naturæ.*

CLXXVII.

Quando autem convertatur: idà **SPIRITU** sancto
adminiculo Verbi & Sacramentorum peragi.

CLXXVIII.

*Nostram igitur miseriam extremam agnoscamus, cristas de-
mittamus, Verbum audiamus; Sacramenta usurpemus, devotè
oremus, atq; ita ad recuperationem Salutis nostræ se-
rio conatu adspicemus per*

CHRISTVM:

Cui Laus & Gloria seculis infinitis

AMEN.**E R R A T A.**

Sub sicco Theos. CX. omissum est verbum consentunt. Th. 13 3. deest particula Id.


FINIS.

DS A 714

ULB Halle

3


003 762 386



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

9



Θεῶ σωρευγῆντ

Exercitationum Theologicarum
DISPUTATIO IIX.

In qua

VIII. Problema Theologicum, idq;

DE LIBERO HOMI-
NIS ARBITRIO.

*Ad stateram Verbi divinitus - patefacti appenden-
dum sistitur.*

In Inclyta Academia VVitebergensi,

Auctore & Præside

JOHANNE FÖRSTERO,
SS. Theol. D. & Prof. Publ.

Respondentis autem provinciam sustinente

M. NICOLAO HARDKOPF
Stadense Saxone.

Ad XVIII. diem Martij.

2. Cor. 3.

Ὁ ἰκανοῖς μεν ἀφ' ἑαυτῶν λογίζεσθαι πως εἶς
ἑαυτῶν: ἀλλ' (NB) ἡ ἰκανότης ἡμεῶν
ἐκ Θεῶ.

Typis Cratonianis per Johan Gorman.

Anno M. DC. IX.

